



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. II. Rejicitur doctrina P. Thyrsi allata sect. I. §. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

§. II.

Rejicitur doctrina P. Thyrsi allata sect. 1. §. 2.

SUMMARIUM.

In quo consentiam, & dissentiam à P. Thyro, n. 138.

Mentiens sub errore vincibili peccat peccato mendacij, & meretur poenam distinctam à poenâ debitâ peccato ignorantia, n. 139.

Per hoc quod alio peccato peccet, non inferitur peccari sine advertentiâ peccati, n. 140.

S. Thom. loquitur de peccato materiali; & per eundem latius patet malum, & peccatum, quam culpa, n. 141. 142.

Implicat error culpabilis sine advertentiâ, 143.

Ut actus sub errore culpabili sit novum peccatum, necessaria est, vel novâ peccati libertas, vel quod antiqua duret, n. 144.

DD. negantes, quod actus externus addat novam bonitatem, n. 145.

Adhuc dato, quod adderet, paritas est contra P. D. Thyrsium, n. 146.

Et si magis peccet, qui centies ex errore culpabili contrahit, quam qui semel, non ideo sine advertentiâ peccat, n. 147.

Quid probet paritas actus externi, n. 148.

Primum corollarium est falsum; secundum quo sensu verum; de tertio non disputo, n. 149. ad 151.

Celladei ait, quod D. Hieronymo à Pelagianis obiectus fuerit Jansenismus, n. 152. 153.

Dictum D. Hieronymi, ibid.

Potest ignorantia fieri invincibilis; quando fiat? 155. 156.

Ignorantia eorum, quæ quis obligatione, tum physica, tum morali, scire tenetur, non excusat; excusat quæ quis obligatione tantum physica, n. 157.

Vincibilis ignorantia est æquivalenter scientia, n. 159.

Modus deponendi vincibilem ignorantiam, 160.

Non est necessaria regulariter meditatio, &c. ib.

Abusus eorum, qui vincibilem conscientiam non deponunt, n. 161.

N. **R**estat modò, ut impugnemus doctrinam, quam sect. 1. §. 2. dedi ex P. Thyrsi. P. Thyrs. in quâ dicit, quod præter peccatum negligentia contrahatur aliud peccatum, si ei negligentia culpabili addatur aliud opus contra aliam legem, aut virtutem. Fateor quoad hoc dicere verum, ut ego docui sect. 2. §. 2. conclus. 3. propter rationes ibi adductas: attamen quia hic iterum supponit posse verè, & propriè novo peccato peccari, quin ullo modo advertatur peccari, ideo in ejus doctrinæ rationibus veritatem à falsitate discernere oportet.

Ad 1. probationem fateor, quòd judicans N. per errorem culpabilem se teneri ad mentendum, si mentiatur, peccabit; fateor etiam hoc mendacium esse peccatum distinctum à peccato negligentia, & novam poenam mereri. Ratio est; quia negligens scire, an mendacium in tali casu liceat, & simul mentiatur, duplicem habet in eo casu; æquivalenter scilicet, volitionem peccaminosam; prima est, nolo scire, an detur præceptum vetans in tali casu sermonem falsum: altera est, volo proferre eum sermonem falsum; five addit, five non addit præceptum: quæ duplex saltem æquivalenter volitio, est duplex peccatum: nolle enim suppressere illud verbum, suppositâ negligentia sciendi, an sit obligatio tacendi, est quid plus, quam præcise nolle scire, an detur præceptum tacendi illud verbum falsum; plus enim est dicere, non volo scire, an detur præceptum tacendi, & non volo illud tacere, quàm dicere, non volo scire, an detur præceptum tacendi; volo tamen tacere: hic enim peccat tantum peccato negligentia contra studiositatem; ille autem peccat tum peccato negligentia contra studiositatem, tum peccato mendacij contra veracitatem.

Hinc non video quomodò ex hac resolutione P. Thyrsus deducat peccare peccato novo; licet non advertat quis se peccare: P. Thyrs. aliud enim est, quòd peccet alio peccato; aliud quòd peccet alio peccato, licet non advertat se peccare: primum est verum, & ideo, quia alio peccato peccat, meretur poenam distinctam à poenâ debitâ peccato negligentia; secundum est falsum, quia implicat peccatum sine advertentiâ, ergo implicat novum peccatum sine novâ advertentiâ, aut saltem sine veteri durante: ergo ex hoc quòd mentiens ex negligentia culpabili ob famam proximi tuendam mereatur poenam distinctam à poenâ debitâ peccato negligentia, non inferitur eum peccare peccato novo, etiam non advertat se peccare. In formâ concedo antecedens, & primam consequentiam: ad subsumptum dico, quòd, qui mentiatur nolo scire, an detur præceptum vetans mendacium; dico, inquam, quòd iste non cognoscit, an detur tale præceptum non mentendi, adhuc tamen cognoscit se peccare, si mentiatur, quia cognoscit legem reflexam non operandi cum conscientia dubiâ de existentia præcepti, adeoque peccat advertendo se peccare, & nesciendo, an existat lex de non mentiendo; quæ si existat, peccat insuper peccato contra veracitatem.

Ad 1. confirm. concedo totam, advertendo tamen, quòd verba S. Thom. intelligenda sunt

sunt, vel de peccato materiali, si opus contra legem fiat sine advertentia; vel si fiat cum conscientia culpabiliter erronea, seu cum advertentia, intelligenda sunt de peccato formali. Verumtamen prater ea, quae alibi dicemus ad citatum D. Thomae locum, *Quod est contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod sit juxta conscientiam*, advertere oportet, quod juxta S. Thom. latius patet *malum*, & *peccatum*, quam *culpa*, nam 1.2. *quest. 21. art. 1. ait: Licet in actibus naturalibus* (loquitur de non liberis) *sit peccatum, non tamen est culpa*: (notet haec verba M. Elbecque, & omnia, quae ex S. Thom. art. 3. §. unico, & art. 4. trahit, facile dissolvit, quin doceat posse peccari formaliter sine advertentia, ergo juxta S. D. latius patet peccatum, & malum, quam culpa; licet enim omnis culpa sit peccatum, & malum, non tamen contra: ergo dum S. Thom. dicit, *Quod est contra legem, semper est malum*, optime loquitur, vult enim esse malum materiale; neque per hoc quod illud sit juxta conscientiam, fit, quod non sit malum materiale, adhuc enim erit materiale malum, si de iur. lex a parte rei. Quapropter Caram. lib. 4. Theolog. Mor. Fund. in Dialectica n. 69. ait in eruditissimū D. Spinulam, qui deinde ad Episcopatum Savonensem assumptus fuit, in suo Opusculo de liberis, & prudenti electione in moralibus, d. 1. sect. 5. pag. 49. quod Spinula non recte interpretatus fuerit textum D. Thomae ex quolibet 8. in quo dicitur de Præbendis, & quem pro se Janfenistæ centies allegant, (vide, quod hominum genus eo textu utatur) dum Spinula asserit nihil probare, quatenus probat ille textus, peccare eum, qui contra legem facit, licet juxta conscientiam operetur, quod tamen est contra omnes DD. Hæc, & alia Spinula, quæ Caramueli non placent, cum facilius sit dicere, quod qui operatur contra legem, peccat, sed materialiter, non autem peccat formaliter, quia operatur juxta conscientiam; cum juxta S. Thom. non omne peccatum, puta materiale, non semper sit culpa. Omitto diffusam aequè, & dilucidam Caramueli ad D. Thomae textum paraphrasim.

Ad 2. confirm. dico repugnare in terminis, quod dictamen conscientiae sit culpabiliter erroneum, & quod nulla detur advertentia ad peccatum; si enim est culpabiliter erroneum, ergo advertitur esse tale; & nego consequentiam quoad ultimam partem; nulla enim nova formalis malitia contrahitur, nisi vel accedat nova advertentia, vel perseveret antiqua.

Ad 2. probationem respondeo, quod, ut actus sub negligentia culpabili commissus novam induat malitiam, non esse necesse, ut novam habeat libertatem peccati; necesse tamen est, ut habeat, vel novam peccati libertatem, vel saltem ut antiqua peccati libertas perseveret; sed hæc, ut toties dixi, includit cognitionem malitiae: similiter negligentia culpabilis includit, tum cognitionem peccati ignorantiae, tum cognitionem de malitia operis, si forte datur præceptum à me culpabiliter ignoratum: ergo implicat in terminis, ut quis peccet contra legem sub negligentia culpabili, quin advertat se peccare.

Ad 1. antecedentis probationem dico cum N. communi, quam tuetur S. Thom. 1.2. *qu. 20. art. 4.* Scotus in 2. *dist. 42. quest. 4. num. 2. 16. s. 1. b. 17. & 20.* P. Valqu. P. Suar. *tr. 3. d. 10. sect. 1.* Scotus, qui citat D. Bonav. & Capreolū, P. Ovied. *1.2. tr. 4. contr. 8. n. 27. & tr. 9. contr. 2. a n. 70.* C. de Lugo d. 24. de Pœnit. *sect. 4. a n. 56.* Herinx *tom. 2. disp. 3. quest. 6.* per totam, D. Bo. & ferè omnes alij, immo ipse P. Ripalda *tom. 1. de Ente disp. 68. sect. 4.* qui actionem externam non addere novam bonitatem actui interno defendit, licet velit addere novum meritum; (inconsequenter autem P. Ripald. concedit, quod actus externus addat novum meritum, non autem novam bonitatem; & impugnatur à P. Ovied. sicut etiam inconsequenter P. Suar. C. de Lugo, & P. Ovied. quos impugnatur P. Dicast. d. 13. de Pœnit. n. 87. concedunt, quod opus externum augeat satisfactionem, & negant augere meritum; inconsequenter, inquam, quod enim quaeritur, est, an actus externus addat novam bonitatem, quidquid sit de alijs formalitatibus meriti, & satisfactionis,) dico, inquam, cum communi, quam ferè omnes tuentur, quod opus externum nullam addit novam bonitatem, aut malitiam interno, quidquid, ut dixi, sit de formalitate meriti, & satisfactionis: ergo paritas adducta est contra communem. Deinde eam retorqueo: Ut enim actus externus, adhuc dato quod addat novam malitiam interno, licet non addat novam libertatem, idè addit novam malitiam, quia supponitur, quod ipsum liberum exercitium internum perseveret in suo effectu imperato, nempe in actu externo, adeoque implicat, ut novam addat malitiam, immò implicat, ut aliquam, five novam, five non novam addat, si non durat virtualiter ipsa libertas interior: ita in casu nostro implicat, ut novum addatur peccatum, nisi accedat, vel nova libertas peccati, vel antiqua perseveret in ipsa culpabili negligentia, quæ necessario dicit cognitionem malitiae; atque adeo

adeo hæc ipsa antiqua libertas, quia pluribus volitionibus peccati liberis æquivalet, potest dici nova quodammodo libertas.

M. Tap. Quapropter M. Tapia tom. 1. lib. 1. qu. 7.

art. 6. postquam probavit actionem exteriori respondentem interiori non addere bonitatem, aut malitiam distinctam, quia vel illud superadditum distinctum est volitum ab actu interiori, vel non est volitum? si non est volitum, non erit malum, aut bonum, quia nihil est moraliter bonum, aut moraliter malum, nisi sit voluntarium; sic enim accipitur volitum pro voluntario procedente à liberà voluntate; tandem n. 6. ait, quid si aliquis cum Scoto quodlib. 18. art. 3. iudicet, actum exteriori adæquatè respondentem interiori addere bonitatem, aut malitiam interiori, imputabitur nè illi maior bonitas, vel malitia actus externi? Respondet, quod imputabitur ex conscientia errante, aut probabili; & tamen dum sic accidit, tota ea bonitas, vel malitia in actu externo apprehensa nascitur ab actu interno, quo efficaciter vult actum externum, ut deterius aut melius; nam si illa bonitas, vel malitia non est voluntaria, non imputabitur ad meritum, vel demeritum. Unde adhuc in isto casu inciditur in sententiam D. Thomæ, vel involvitur implicatio, si velis fugere ab eâ. Hæc M.

M. Elbec. Tapia, quæ legenda propono ipsi M. Elbecque; nam M. Tapia Thomista doctrinâ, religionem, & prudentiâ, siquis alius insignis est, & tamen expressè docet non tantum quod peccari non possit, quin advertatur ad malitiam, sed ne quidem augeri posse malitiam per actum externum, quin ea cognoscatur. Idem tradit M. Godoy 1. 2. tom. 1. d.

M. God. 23. an. 12. qui ait, actum internum, & externum esse unum numero peccatum formaliter in esse moris, quod incipit in interiori, & consummatur in exteriori: idem Caietanus 1. 2. qu. 20. art. 3. & 4. D. Bonav. in 2. dist. 40. qu. 1. Ariminensis ibid. qu. unica concl. 6. & 7. Riccius de Act. hum. lib. 3. cap. 43. n. 2.

N. Ad exempla, quæ P. Thyrsus trahit, dico, plus peccare mercatorem centies ex negligentia culpabili contrahentem, quam qui semel, ob rationem, quam dedi initio huius §. at hinc non sequitur, quod peccet contrahendo, quin advertat se peccare: si enim perseverat negligentia culpabilis, & contrahit cum affectu ad talem ignorantiam, utique perseverat advertentia ad peccatum ignorantiam, & iniustitiæ, si datur præceptum vetans eum contrahere, esto hoc præceptum dari ignoret. Dixi enim, quod ignorans præceptum voluntariè scit se peccare, si ponat opus; adeoque ignorantia est circa existentiam præcepti, non autem circa peccatum; in quo valde decipiuntur Contrarij, & ideo dicitur peccatum ignorantem, quia scienter ignoratur existentia præcepti, licet non ignoretur peccatum contra existentiam præcepti scienter ignorati: ergo si unus pluries contrahat, quam alter, ille plus peccabit, quam iste; quia ignorantia voluntaria, quam habet, qui pluries contrahit, in sui duratione tones quodammodo multiplicatur, quoties contrahit; eo modo, quo qui unâ volitione determinat occidere centum, magis peccat, quam qui unâ volitione determinat occidere unum, quia illius volitio quadatenus multiplicatur multiplicatis homicidijs, seu objectis: ita in casu nostro ignorantia illius, & volitio contrahendum, quæ sub eâ ignorantia fiunt, quodammodo multiplicatur, quoties contrahitur. Porro, ut dixi, volitio contrahendus sub ignorantia vincibili est libera non tantum libertate facti, sed etiam peccati, quia procedit à potentia liberâ cognoscente esse peccatum contrahere sub dubio de iustitiâ contrahendus. Quod dixi de contrahentibus sub ignorantia vincibili, dico de alijs, quorum unus sub vincibili ignorantia ponat opera contra plura præcepta, alius contra unum; plus enim peccabit ille, quam iste, & tot peccata specie diversâ patrabit, quot sunt præcepta, aut virtutes diversæ per ea opera violatæ. Nego tamen consequentiam, quæ infertur, nempe peccari nunc posse sine libertate peccati nunc existentem; immo, si nunc peccatur, nunc existit libertas peccati, tum in ignorantia vincibili, quæ advertentiam peccati necessariò supponit; tum in dubio, an existat lex, quam ignorare vult, operando contra illam; nam licet ignoret existentiam legis directæ, non tamen ignorat, immo scit se peccare contra legem reflexam vetantem, ne ponatur opus sub dubio de existentia legis vetantis, nisi dubio deposito.

Dices: Ideo volitio furti est mala, quia N. malum est furtum externum: ergo actus externus novam malitiam addit supra internum. Sed contra; quia si addat, ut pauci docent, si non addat, ut plerique; cum S. Bonav. in 2. dist. 40. art. 2. qu. 1. & 3. & dist. 47. art. 1. qu. 2. hoc scio argumentum jam fuisse à me retortum: similiter scio hæc instantiâ unicè probari, quod aliqui actus sumant suam malitiam ab objecto, quia in se malo, non autem probatur superaddi interno malitiam formalem, hæc enim non habetur, nisi à voluntate cognoscente malitiam objectivam; & actio externa non habet nisi malitiam, aut bonitatem objectivam, seu materiam ex se; moralem autem habet à voluptate

luntate. Demum scio, quod qui desiderat milites mori pro Deo, non tantum meretur, quantum qui milites moreretur; quia mille actus externi præsupponunt mille internos efficaces, vel unum illis æquivalentem, quod revera est moraliter impossibile; quod idem dico de eo, qui unâ volitione desiderat mille homines occidere; hic enim non tantum peccat, quantum si mille occideret, quia unica volitio non æquivalat mille volitionibus efficacibus: ergo paritas, & comparatio actus externi cum interno, ut aliquid concludatur, diligenter consideranda est, & ad rem nihil facit.

N. Ad 1. Corollarium dico esse verissimum, tantum abest, ut falsum sit, quod nemo peccet, dum facit, quod sine ullo conscientie remota, & scrupulo judicatur esse honestum. Vide quæ dixi §. antecedenti ad finem.

N. Ad 2. dico esse verum, si addatur *invincibiliter*, nempe omnis invincibiliter putans se non peccare, non peccat; si autem putet *vincibiliter*, peccabit; numquam tamen ignorantia est vincibilis, nisi adit advertentia peccati, ut toties dixi.

N. Ad 3. an opinio docens, quod potest quis peccare agendo contra legem, licet dum agit, firmissime judicet se bene operari, si judicet firmissime ex errore, aut ignorantia, quæ dum operatur, vinci non potest, nec satis esse quod olim potuerit; an hæc, inquam, opinio incidat in Jansenismum, viderint alij; ego enim à meo iudicio proferendo abstinco. Hoc unice dico, quod qui eam sententiam judicat non posse accusari de Jansenismo, quia (inquit) eam tueretur S. August. S. Thom. Synodus Palæstina, nihil dicit; quia Jansenius, ut etiam fatetur P. Elizal. 2. p. lib. 5. quæ. 18. pag. mihi 126. suum errorem ipsam S. Augustini, S. Thom. & Syn. Palæstinæ reprobatur, & ex illis infert opinionem damnatam, licet pessimè inferat; ergo etsi ex dictis textibus probetur ea opinio, si ostendatur male probari, & non esse ad rem, poterit de Jansenismo notari.

N. Dices ex P. Elizal. 2. p. lib. 5. quæ. 17. §. 5. pag. mihi 121. Jansenismum, quem aliquis eadem objicit, quatenus ejus opinio incidit in præceptorum impossibilitatem, objectum olim fuisse à Pelagianis S. Hieronymo, nam lib. 2. S. Hieronymi ita clamant Pelagiani: His enim cunctis testimoniis videris hominum accusare naturam, ac per hoc invidiam referre in Deum, si tales homines condidit, ut oblivionis, & ignorantie peccato carere non possint. Et lib. 1. Aut possibilia Deus mandata dedit, aut impossibilia? si possibilia, in nostrâ potestate est ea facere, si velimus;

si impossibilia, nec in hoc rei sumus, si non facimus, quod implere non possumus, ac per hoc five possibilia dedit Deus mandata, five impossibilia, potest homo esse sine peccato, si velit: (hæc S. Hieron.) ergo Jansenismus, quem aliqui ei opinioni objiciunt, est purus Pelagianismus.

Respondeo tria hic esse: primum, an bene N. Pelagiani contra S. Hieron. arguerint: secundum, an bene P. Elizal. inferat contra nos Pelagianismum: tertium, an bene aliqui contra eum intulerint Jansenismum. Ad 1. dico, Pelagianos pessimè arguisse contra S. Hieron. ex eo quod S. Doctor admittebat peccata ignorantie, quæ Pelagiani negabant, non ideo sequitur peccari necessario, ut Pelagiani volebant, nisi ad summam necessitate consequenti, præsertim si nobiscum dixeris, ad omne peccatum etiam ignorantie, & sequentia ad illam requiri advertentiam; ignorantia quidem in se, sequentium autem advertentiam, ad ipsam ignorantiam tamquam in causâ. Ad 2. dicam paulo post, dum solvam argumenta P. Eliz. Ad 3. dico me abstinuisse ab illatione Jansenismi ex sententiâ P. Elizal. qui autem inferunt, viderint illi.

Ad 4. dico, quod si dum sit novum opus contra legem, ille error sub quo fit, vinci non potest, tale opus sub eo errore hic, & nunc invincibili non est peccatum; si autem fiat sub errore, qui vinci potest, tunc est novum peccatum, at eo ipso fit cum advertentia peccati.

Ex his infer 1. nullam ignorantiam malitiam, aut prohibitionis, cum dubio malitiam, aut prohibitionis, cum dubio malitiam, 155. aut prohibitionis, aut remorsu indagandi ulterius veritatem, si illud dubium, aut remorsus per prudens iudicium non deponatur, nullam, inquam, talem ignorantiam esse invincibilem, sed vincibilem, & culpabilem, quia talis ignorantia est peccatum negligentie contra virtutem studiositatis cognitam ut obligantem ad indagandam veritatem; & est violatio alterius præcepti, de cuius existentia dubitatur, & vincibiliter ignoratur. Si autem ignorantia sit talis, ut nulla adfit cogitatio malitiam, aut prohibitionis, vel si adfit, deponatur prudenter, opus sub eâ ignorantia elicatum, five ea ignorantia sit, five non sit peccata peccati prioris, & olim volita, numquam est novum peccatum, licet sit materialis violatio legis. 2. quod ignorantia antea vincibilis potest decursu temporis fieri invincibilis, nempe si tollatur omnis advertentia ejus expellendæ, & tunc excusabit semper opera sequentia à peccato formali, five talis ignorantia dicenda sit invincibilis absolute, seu pro omni tempore, five invincibilis respe-